



HISTORIA DE PRIMATV PAPÆ.

SEXTA Carthaginensis Synodus circa 410. Domini annum celebrata est. Fuerunt in ea congregati Episcopi numero 217. inter quos & ipse divus Augustinus, Prosper, Orosius, & multi alii præstantes ac celebres Viri. Aurelius porrò Carthaginensis Episcopus, præcipuus Africæ totius Metropolitanus, præfedit. Insignis autem ac admodum utilis historia *de Papa Imperio seu potestate*, ex ea Synodo, & aliis quibusdam vetustis ac authenticis monumentis colligi potest, quæ tamen hæctenus (quod ego sciam) à nemine, ne summatim quidem comprehensa ac exposita est. Quare breviter eam, CHRISTO juvant, recitare tentabo, tametsi optandum profectò vehementer sit, illam ab aliquo insigni artifice & prolixè & luculenter conscribi, atque illustrari. Actum enim est maxima contentione, vel etiam acerbitate, in hoc Concilio, integro quinquennio, *de primatu Papa super Africa & aliarum exterrarum provinciarum Ecclesias*. Sed in hac Synodo, tota causa tandem beneficio Dei feliciter decisa est, quam ut ordine exponam, quædam paulò altius mihi repetenda sunt.

Omnino (ut ex omnibus Romanorum Pontificum actionibus & scriptis apparet) cupidi jam inde ab initio Papæ fuerunt, potentiam seu tyrannidem suam quam latissimè super Ecclesias extendendi. Iuvabat, credo, eos, sicut ipsam urbem Romam, ipsumque Imperatorem orbi terrarum politicè imperare videbant, ita & omnes Dei Ecclesias sub suo jugo ac imperio servientes cernere, & consuetudine ipsa mundi ita ferente, plerumque majorum civitatum Episcopi in majori veneratione habebantur, Metropolitanique vocabantur. Videmus sanè quotidie, quantopere non tantum Magistratus, sed & incolæ magnarum ac potentium urbium, alios minorum oppidorum cives præ se contemnant. Inflabat eos forte & ipsa opinio, rumorque hominum vel verus, vel falsus, quod ibi Paulus ac Petrus summi Apostoli docuissent, quodque ea Ecclesia sinceriores doctrinam cæteris ex ipsis fontibus hausisset. Ideoque putabant Papæ, se etiam Petri ac Pauli autho-
B
rita-